DA
170


Library of
INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
A Gift of
Professor B.Wilkinson
1980


The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario


Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/selectextractsf00hear

TEXTS FOR STUDENTS, No. 8

SELECT EXTRACTS

FROM CHRONICLES AND RECORDS RELATING TO ENGLISH TOWNS IN THE MIDDLE AGES

Price 9d. net

HELPS FOR STUDENTS OF HISTORY.

No. 1. EPISCOPAL REGISTERS OF ENGLAND AND WALES. By R. C. Fowler, B.A., F.S.A. 6d. net.

No. 2. MUNICIPAL RECORDS. By F. J. C. Hearnshaw, M.A. 6d. net.

No. 3. MEDIEVAL RECKONINGS OF TIME. By Reginald L. Poole, LL.D., Litt.D. 6d. net.

No. 4. THE PUBLIC RECORD OFFICE. By Charles Johnson. 6d. net.

No. 5. THE CARE OF DOCUMENTS. By Charles Johnson. 6d. net.

No. 6. THE LOGIC OF HISTORY. By C. G Crump. 8d. net.

No. 7. DOCUMENTS IN THE PUBLIC RECORD OFFICE, DUBLIN. By R. H. Murray, Litt.D. 8d. net.

No. 8. THE FRENCH WARS OF RELIGION. By Arthur A. Tilley, M.A. 6d. net.

[*Continued on p.* 3.

SELECT EXTRACTS FROM CHRONICLES AND RECORDS

TEXTS FOR STUDENTS. No. 8

GENERAL EDITORS: CAROLINE A. J. SKEEL, D.LIT.; H. J. WHITE, D.D.; J. P. WHITNEY, B.D., D.C.L.

SELECT EXTRACTS
FROM CHRONICLES & RECORDS RELATING TO ENGLISH TOWNS IN THE MIDDLE AGES

EDITED, WITH
INTRODUCTION, NOTES, AND GLOSSARY
BY

F. J. C. HEARNSHAW
M.A., LL.D.
PROFESSOR OF MEDIÆVAL HISTORY IN THE UNIVERSITY OF LONDON

LONDON:
SOCIETY FOR PROMOTING CHRISTIAN KNOWLEDGE
NEW YORK: THE MACMILLAN COMPANY
1919

The Institute of Mediaeval
LIBRARY
JAN 29 1981
Toronto, Ontario

INTRODUCTION

This little selection of Latin extracts may be regarded either as an independent reading-book in mediæval chronicles and documents, or as a brief source-book to accompany my pamphlet on *Municipal Records*, published last year by the S.P.C.K.

It aims at giving specimen passages relating to English towns in the Middle Ages, culled on the one hand from representative chronicles, and on the other hand from typical municipal documents. The narrative extracts are all taken from the texts provided in the indispensable Rolls Series, and my thanks are due to the Master of the Rolls for his kind permission to use them.

As in the other volumes of this Series, the Notes are reduced to the minimum, while the Glossary is limited to words not given in the ordinary Latin dictionary and to words used in other than their ordinary senses. I am much indebted to my friend and colleague, Dr. H. J. White, for his kind revision of the Notes and Glossary.

F. J. C. HEARNSHAW.

University of London,
King's College.
December 28, 1918.

CONTENTS

PAGE

I. Fitzstephen's Description of London, *c.* A.D. 1118 -
From *Vita Sancti Thomæ.*

II. Siege of Exeter, A.D. 1136 - - - - 23
From *Gesta Stephani.*

III. Massacre of Jews at York, A.D. 1190 - - 31
From *Chronica Rogeri de Hoveden.*

IV. Revolt of William Fitzosbert in London, A.D. 1196 35
From *Chronica Rogeri de Wendover.*

V. The "Fair of Lincoln," A.D. 1217 - - - 37
From *Chronica Rogeri de Wendover.*

VI. An Archiepiscopal Visitation in London, A.D. 1250 43
From *Chronica Majora Matthæi Parisiensis.*

VII. Troubles at Bristol, A.D. 1316 - - - 49
From *Vita Eduardi Secundi.*

VIII. Customs of Newcastle-on-Tyne - - - 53

IX. A Charter of Southampton - - - - 57

Notes - - - - - - - 61

SELECT EXTRACTS FROM CHRONICLES AND RECORDS

I

FITZSTEPHEN'S DESCRIPTION OF LONDON

[The following description of London in the twelfth century is taken from the Introduction to the contemporary *Vita Sancti Thomæ, Cantuariensis Archiepiscopi et Martyris, auctore Willelmo Filio Stephani.* The text is that of Robertson as printed in vol. iii., pp. 2-13, of *Materials for the History of Thomas Becket* and published in the Rolls Series.

Little is known of William Fitzstephen except what he himself tells us in his Life of Becket. He informs us that he, like Becket, was a native of London, that he became chaplain to the Archbishop, that he was with him on several great and critical occasions during his chequered career, and that he was an eyewitness of his martyrdom.

The Description of London has little or no connection with the main body of Fitzstephen's edifying work. The only excuse for its insertion is the chance fact that Becket was a Londoner. It is doubtful, too, how far it can be accepted as an authentic picture of the City in Norman and Angevin times. It strikes the modern reader as less a

faithful delineation of things seen than a laborious reproduction of rhetoric remembered. It is packed with quotations and phrases from the classical poets and with unusual words. Hence it is by no means such easy Latin as is the simple and straightforward biography which it prefaces. Most of the uncommon expressions are explained in the Notes or the Glossary.]

Descriptio Nobilissimæ Civitatis Londoniæ.

§ 1. Inter nobiles orbis urbes, quos fama celebrat, civitas Londoniæ, regni Anglorum sedes, una est, quæ famam sui latius diffundit, opes et merces longius transmittit, caput altius extollit. Felix est aeris salubritate, Christiana religione, firmitate munitionum, natura situs, honore civium, pudicitia matronali; ludis etiam quam jocunda, et nobilium est fœcunda virorum: quæ singula semotim[1] libet inspicere.

§ 2. Ibi siquidem emollit animos hominum clementia cæli; non ut sint "in Venerem putres,"* sed ne feri sint et bestiales potius benigni et liberales.

§ 3. Est ibi in ecclesia beati Pauli episcopalis sedes: quondam fuit metropolitana, et adhuc futura creditur, si remeaverint cives in insulam;† nisi forte beati Thomæ martyris titulus archiepiscopalis et præsentia corporalis dignitatem illam Cantuariæ, ubi nunc est, conservet perpetuam. Sed cum utramque harum urbium sanctus Thomas illustraverit, Londiniam ortu, Cantuariam occasu; ipsius sancti intuitu,[2] cum justitiæ accessu, habet altera

[1] *semotim* (=*semote*): separately. [2] *intuitu*=with regard to.

* See note 1. † See note 2.

adversus alteram quod amplius alleget. Sunt etiam, quod ad Christianæ fidei cultum pertinet, tum in Londonia, tum in suburbio, tredecim majores ecclesiæ conventuum, præter minores parochianas centum viginti sex.

§ 4. Habet ab oriente arcem palatinam,* maximam et fortissimam, cujus et area et muri a fundamento profundissimo exsurgunt, cæmento cum sanguine animalium temperato; ab occidente duo castella munitissima; muro urbis alto et magno duplatis heptapylæ portis intercontinuante,† turrito ab aquilone per intercapedines.[1] Similiterque ab austro Londonia murata et turrita fuit; sed fluvius maximus piscosus, Thamesis, mari influo refluoque, qui illac allabitur, mœnia illa tractu temporis abluit, labefactavit, dejecit. Item sursum ab occidente palatium regium‡ eminet super fluvium eundem, ædificium incomparabile, cum antemurali[2] et propugnaculis,[3] duobus millibus [passuum] ab urbe, suburbio frequenti continuante.

§ 5. Undique extra domos suburbanorum horti civium, arboribus consiti, spatiosi et speciosi, contigui habentur. Item a borea sunt agri, pascuæ, et pratorum grata planities, aquis fluvialibus interfluis; ad quas molinorum versatiles rotæ citantur cum murmure jocoso. Proxime patet ingens foresta, saltus nemorosi, ferarum latebræ, cervorum, damarum, aprorum, et taurorum sylvestrium. Agri urbis sationales[4] non sunt jejunæ glareæ, sed pingues Asiæ campi,

"qui faciant lætas segetes,"

et suorum cultorum repleant horrea

"Cerealis mergite culmi."

[1] *intercapedo*=interval. [2] *antemurale*=breastwork.
[3] *propugnaculum*=bulwark. [4] *sationalis* (*ager*)=tillage land.

* See note 3. † See note 4. ‡ See note 5.

§ 6. Sunt etiam circa Londoniam ab aquilone suburbáni fontes præcipui, aqua dulci, salubri, perspicua, et per claros rivo trepidante lapillos; inter quos Fons Sacer, Fons Clericorum,* Fons sancti Clementis, nominatiores habentur, et adeuntur celebriore accessu et majore frequentia scholarium, et urbanæ juventutis in serotinis[1] æstivis ad auram exeuntis. Urbs sane bona, si bonum habeat dominum.

§ 7. Urbs ista viris est honorata, armis decorata, multo habitatore populosa; ut tempore bellicæ cladis jubente rege Stephano, bello apti ex ea exeuntes ostentui[2] haberentur, et viginti millia armatorum equitum, sexaginta millia peditum æstimarentur. Cives Londoniæ ubicunque locorum præ omnibus aliis civibus ornatu morum, vestium, et mensæ lautioris, spectabiles et noti habentur. Habitatores aliarum urbium cives, hujus barones dicuntur. Urbis matronæ ipsæ Sabinæ sunt.

§ 8. In Londonia tres principales ecclesiæ scholas celebres habent de privilegio et antiqua dignitate. Plerumque tamen favore personali alicujus notorum secundum philosophiam plures ibi scholæ admittuntur. Diebus festis ad ecclesias festivas[3] magistri conventus celebrant. Disputant scholares, quidam demonstrative, dialectice alii; hi rotant enthymemata,† hi perfectis melius utuntur syllogismis. Quidam ad ostentationem exercentur disputatione, quæ est inter colluctantes;[4] alii ad veritatem, ea

[1] *serotinus :* late = evening. [2] *ostentus :* parade, muster.
[3] *ecclesia festiva :* the church of the patron saint commemorated.
[4] *colluctantes* (=*colluctatores*) : wrestlers—*i.e.*, those who contend for victory only.

* See note 6. † See note 7.

quæ est perfectionis gratia. Sophistæ simulatores[1] agmine et inundatione verborum beati judicantur; alii paralogizant.[2] Oratores aliqui quandoque orationibus rhetoricis aliquid dicunt apposite ad persuadendum, curantes artis præcepta servare, et ex contigentibus nihil omittere. Pueri diversarum scholarum versibus inter se conrixantur; aut de principiis artis grammaticæ, vel regulis præteritorum vel supinorum, contendunt. Sunt alii qui in epigrammatibus, rhythmis et metris, utuntur vetere illa triviali dicacitate;[3] licentia Fescennina* socios suppressis nominibus liberius lacerant; lœdorias[4] jaculantur et scommata;[5] salibus Socraticis sociorum, vel forte majorum, vitia tangunt; vel mordacius dente rodunt Theonino† audacibus dithyrambis. Auditores, multum ridere parati,

"Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos."‡

§ **9.** Singulorum officiorum exercitores, singularum rerum venditores, singularum operarum suarum locatores, quotidiano mane per se sunt locis distincti omnes, ut officiis. Præterea est in Londonia supra ripam fluminis, inter vina in navibus et cellis vinariis venalia, publica coquina.[6] Ibi quotidie pro tempore[7] est invenire cibaria, fercula,[8] assa,[9] pista,[10] frixa,[11] elixa,[12] pisces, pisciculos,

[1] *simulatores:* pretenders—*i.e.*, those who argue on imaginary subjects of dispute.

[2] *paralogizant:* paralogize—*i.e.*, reason falsely, deliberately employ fallacies; *cf.* Greek παραλογίζεσθαι.

[3] *dicacitas:* banter. [4] *lœdoria* (Gk. λοιδορία): gross abuse.

[5] *scomma* (Gk. σκῶμμα): taunt, scoff.

[6] *coquina:* cook-shop. [7] *tempus:* the season of the year.

[8] *ferculum:* a dish. [9] *assus* (*asso*): roasted.

[10] *pistus* (*pinso*)=brayed, crushed.

[11] *frixus* (*frigo*): fried. [12] *elixus* (*elixo*): boiled.

* See note 8. † See note 9. ‡ See note 10.

carnes grossiores pauperibus, delicatiores divitibus, venationum, avium, avicularum. Si subito veniant ad aliquem civium amici fatigati ex itinere, nec libeat jejunis exspectare ut novi cibi emantur et coquantur,

"Dent famuli manibus lymphas, panesque, canistris;"*

interim ad ripam curritur, ibi præsto sunt omnia desiderabilia. Quantalibet militum vel peregrinorum infinitas intrans urbem, qualibet diei vel noctis hora, vel ab urbe exitura, ne vel hi nimium jejunent, vel alii impransi exeant, illuc, si placet, divertunt, et se pro modo suo singuli reficiunt. Qui se curare volunt molliter accipenserem[1] vel Afram avem† vel attagenem[2] Ionicum non quærant, appositis quæ ibi inveniuntur deliciis. Hæc equidem publica coquina est, et civitati plurimum expediens, et ad civilitatem pertinens.‡ Hinc est quod legitur in Gorgia Platonis, juxta medicinam esse cocorum officium, simulacrum et adulationem quartæ particulæ civilitatis.§

§ **10.** Est ibi extra unam portarum statim in suburbio quidam planus campus|| re et nomine. Omni sexta feria,[3] nisi sit major festivitas præceptæ solennitatis, est ibidem celebre spectaculum nobilium equorum venalium; spectaturi vel empturi veniunt, qui in urbe assunt, comites, barones, milites, cives plurimi. Juvat videre gradarios[4] succussatura[5] nitente[6] suaviter ambulantes, pedibus lateraliter simul erectis quasi a subalternis et demissis; hinc

[1] *accipenser:* sturgeon.
[2] *attagen:* woodcock.
[3] *sexta feria:* Friday.
[4] *gradarius* (*equus*): an ambler.
[5] *succusatura:* trotting.
[6] *nitens* (*succusatura*)=elegant (trotting).

* See note 11. † See note 12. ‡ See note 13.
§ See note 14. || See note 15.

equos, qui armigeris magis conveniunt, durius incedentes, sed expedite tamen, qui quasi a contradictoriis pedes simul elevant et deponunt; hinc nobiles pullos[1] juniores qui, nondum fræno bene assueti,

"Altius incedunt, et mollia crura reponunt."*

Hinc summarios[2] membris validis et vegetis; hinc dextrarios[3] pretiosos, elegantis formæ, staturæ honestæ, micantes auribus, cervicibus arduis, clunibus obsesis. In horum incessu spectant emptores, primo passum suaviorem, postea motum citatiorem,† qui est quasi a contrariis, pedibus anterioribus simul solo amotis et admotis, et posterioribus similiter. Cum talium sonipedum[4] cursus imminet, et aliorum forte, qui similiter sunt in genere suo ad vecturam validi, ad cursuram vegeti, clamor attollitur, vulgares equos in partem ire præcipitur: sessores alipedum[5] pueri tres simul, aliquando bini ex condicto et bini, certamini se præparant, docti equis imperitare, indomitorum "lupatis temperant frænis ora"‡: hoc maxime præcavent, ne alter alteri cursum præripiat. Equi similiter pro modo suo ad certamen cursus illius attollunt; tremunt artus, moræ impatientes, stare loco nesciunt; facto signo, membra extendunt, cursum rapiunt, agilitate pervicaci feruntur. Certant sessores laudis amore et spe victoriæ equis admissis subdere calcaria, et nec minus urgere eos virgis, et ciere clamoribus. Putares omnia in motu esse, secundum Heraclitum, et falsam omnino Zenonis sententiam, dicentis quoniam non contingit moveri,

[1] *pullus:* a colt. [2] *summarius:* sumpter-horse (Fr. *somier*).
[3] *dextrarius:* the charger, or war-horse.
[4] *sonipes:* heavy-footed (horse). [5] *alipes:* wing-footed (horse).

* See note 16. † See note 17. ‡ See note 18.

neque stadium pertransire. Parte alia stant seorsim rusticorum peculia, agrorum instrumenta, sues longis lateribus, vaccæ distentis uberibus,

"Corpora magna boum, lanigerumque pecus."*

Stant ibi aptæ aratris, trahis, et bigis[1] equæ; quarundam ventres fœtibus protument; alias editi fœtus obeunt, pulli lasciviores, sequela inseparabilis.

§ 11. Ad hanc urbem ex omni natione quæ sub cælo est navalia gaudent institores habere commercia.

"Aurum mittit Arabs; species et thura Sabæus;
Arma Scythes; oleum palmarum divite sylva
Pingue solum Babylon; Nilus lapides pretiosus;
Seres purpureas vestes; Galli sua vina;
Norwegi, Russi, varium, grysium, sabelinas."†

Urbe Roma, secundum chronicorum fidem, satis antiquior est.‡ Ab eisdem quippe patribus Trojanis hæc prius a Bruto condita est, quam illa a Remo et Romulo; unde et adhuc antiquis eisdem utuntur legibus, communibus institutis. Hæc etiam similiter illi regionibus[2] est distincta; habet annuos pro consulibus vicecomites; habet senatoriam dignitatem, et magistratus minores; eluviones et aquæductus in vicis; ad genera causarum, deliberativæ, demonstrativæ, judicialis, loca sua, fora singula; habet sua diebus statutis comitia. Non puto urbem esse in qua sint probabiliores consuetudines, in ecclesiis visitandis, ordinatis Dei honorandis, festis feriandis, eleemosynis dandis, in hospitibus suscipiendis, in desponsationibus firmandis, matrimoniis contrahendis, nuptiis celebrandis, conviviis ornandis, convivis hilarandis, etiam in exse-

[1] *bigæ:* a two-horsed cart. [2] *regio:* ward.

* See note 19. † See note 20. ‡ See note 21.

quiis curandis et cadaveribus humandis. Solæ pestes Londoniæ sunt immodica stultorum potatis, et frequens incendium. Ad hæc omnes fere, episcopi, abbates, et magnates Angliæ quasi cives et municipes[1] sunt urbis Londoniæ, sua ibi habentes ædificia præclara, ubi se recipiunt, ubi divites impensas faciunt, ad concilia, ad conventus celebres in urbem evocati a domino rege, vel metropolitano suo, seu propriis tracti negotiis.

§ 12. Amplius et ad ludos urbis veniamus, quoniam non expedit utilem tantum et seriam urbem esse, nisi dulcis etiam sit et jocunda; unde et in sigillis summorum pontificum, usque ad tempora ultimi Leonis papæ,* ex altera parte bullæ,[2] sculpto per impressionem piscatore Petro, et supra eum clave, quasi manu Dei de cælis ei porrecta, et circa eum versu,

"Tu pro me navem liquisti, suscipe clavem,"

ex altera parte impressa erat urbs, et scriptura ista, "Aurea Roma." Item ad laudem Augusti Cæsaris et Romæ dictum est;

"Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Jove Cæsar habes."†

Londonia pro spectaculis theatralibus, pro ludis scenicis, ludos habet sanctiores, repræsentationes miraculorum quæ sancti confessores operati sunt, seu repræsentationes passionum quibus claruit constantia martyrum. Præterea quotannis, die quæ dicitur Carnilevaria,[3] ut a ludis puerorum Londoniæ incipiamus (omnes enim pueri fuimus),

[1] *municeps:* a freeman of the city. [2] *bulla:* a seal.
[3] *carnilevaria* (*carnilevagium*): carnival, here Shrove Tuesday.

* See note 22. † See note 23.

scholarum singularum pueri suos apportant magistro suo gallos gallinaceos pugnaces, et totum illud antemeridianum datur ludo puerorum vacantium spectare in scholis suorum pugnas gallorum. Post prandium vadit in suburbanam planitiem omnis juventus urbis ad lusum pilæ celebrem. Singulorum studiorum scholares suam habent pilam; singulorum officiorum urbis exercitores suam [pilam] fere singuli. Majores natu, patres, et divites urbis, in equis spectatum veniunt certamina juniorum, et modo suo juvenantur cum juvenibus; et excitari videtur in eis motus caloris naturalis contemplatione tanti motus et participatione gaudiorum adolescentiæ liberioris.

§ 13. Singulis diebus dominicis[1] in quadragesima,[2] post prandia, exit in campos "juvenum recens examen"* in equis bellicosis, in equis certamine primis; quorum quisque

"Aptus et in gyros currere doctus equus."†

Erumpunt a portis catervatim filii civium laici, instructi lanceis et scutis militaribus; juniores hastilibus ferro dempto præfurcatis, "simulacra belli cient,"‡ campestria prælia ludunt, et agonisticam exercent militarem. Adveniunt et plurimi aulici, rege in vicino posito, et de familiis episcoporum, consulum, et baronum ephebi,[3] nondum cingulo[4] donati militiæ, gratia concertandi. Accendit singulos spes victoriæ; equi feri adhinniunt, tremunt artus, frænos mandunt; impatientes moræ stare loco nesciunt; cum tandem sonipedum rapit ungula cursum, sessores adolescentes, divisis agminibus, hi præcedentibus instant,

[1] *Dominicus* (*dies*): Sunday. [2] *Quadragesima*: Lent.
[3] *ephebus*: a young man.
[4] *cingulum militiæ*: the belt of knighthood.

* See note 24. † See note 25. ‡ See note 26.

nec assequuntur; hi socios consequuntur, dejiciunt, et prætervolant.

§ **14.** In feriis[1] paschalibus ludunt quasi prælia navalia. In arbore siquidem mediamna[2] scuto fortiter innexo, navicula, multo remo et raptu fluminis cita, celsa in puppi stantem habet juvenem scutum illud lancea percussurum; qui si scuto illi lanceam illidens frangat eam, et immotus persistat, habet propositum, voti compos;* si vero lancea integra fortiter percusserit, in profluentem amnem dejicitur, navis motu suo acta præterit. Sunt tamen hinc inde secus scutum duæ naves stationariæ, et in eis juvenis plurimi, ut eripiant percussorem flumine absorptum, cum primo emersus comparet, vel summa rursus cum bullit in unda. Supra pontem, et in solariis[3] supra fluvium, sunt qui talia spectent, multum ridere parati.

§ **15.** In festis tota æstate juvenes ludentes exercentur arcu, cursu, saltu, lucta, jactu lapidum, amentatis[4] missilibus ultra metam expediendis, parmis[5] duellionum. Puellarum Cytharea ducit choros usque imminente luna, et pede libero pulsatur tellus.†

§ **16.** In hieme, singulis fere festis ante prandium, vel apri spumantes pugnant pro capitibus, et verres fulmineis accincti dentibus addendi succidiæ,[6] vel pingues tauri cornipetæ, sed ursi immanes, cum objectis depugnant canibus. Cum est congelata palus illa magna, quæ mœnia urbis aquilonalia alluit, exeunt lusum super glaciem densæ

[1] *feriæ paschales:* Easter holidays.
[2] *mediamnus:* fixed in the middle of the river.
[3] *solarium:* a balcony.
[4] *amento:* to hurl.
[5] *parma:* a (small) shield.
[6] *succidia:* slaughter (lit., a flitch of bacon).

* See note 27.

† See note 28

juvenum turmæ. Hi ex cursu motu captato citatiore, distantia pedum composita, magnum spatium latere altero prætenso* perlabuntur; alii quasi magnos lapides molares de glacie sibi sedes faciunt; sessorem unum trahunt plurimi præcurrentes, manibus se tenentes. In tanta citatione lubrici motus aliquando pedibus lapsi cadunt omnes proni. Sunt alii super glaciem ludere doctiores, singuli pedibus suis aptantes et sub talaribus[1] suis alligantes ossa, tibias scilicet animalium, et palos ferro acuto supposito tenentes in manibus; quos cum aliquando glaciei illidunt, tanta rapacitate feruntur, quanta avis volans, vel pilum balistæ.[2] Interdum autem magna procul distantia, ex condicto duo aliqui ita ab oppositis veniunt; concurritur, palos erigunt, se invicem percutiunt; vel alter vel ambo cadunt, non sine læsione corporali; cum post casum etiam vi motus feruntur ab invicem procul, et qua parte glacies caput excipit, totum radit, totum decorticat. Plerumque tibia cadentis vel brachium, si super illud ceciderit, confringitur; sed ætas avida gloriæ, juventus cupida victoriæ, ut in veris præliis fortius se habeat, ita in simulatis exercetur.

§ **17.** Plurimi civium delectantur, ludentes in avibus cœli, nisis,[3] accipitribus, et hujusmodi, et in canibus militantibus in sylvis. Habentque cives suum jus venandi, in Middelsexia, Hertfordsira, et tota Chiltra, et in Cantia usque ad aquam Crayæ. Londoniensis, tunc Trinovantes dicti, Gaium Julium Cæsarem, qui "nullas nisi sanguine fuso vias habere gaudebat," repulerunt. Unde Lucanus,†

"Territa quæsitis ostendit terga Britannis,"

[1] *talaria :* ankles.
[2] *balista :* a crossbow.
[3] *nisus :* a tame falcon, a merlin.

* See note 29.
† See note 30.

§ 18. Civitas Londonia peperit aliquot qui regna plurima et Romanum sibi subdiderunt imperium; et plurimos alios, quos mundi dominos virtus evexit ad deos, ut fuerat in Apollinis oraculo Bruto promissum:

"Brute, sub occasu solis, trans Gallica regna,
Insula in oceano est undique clausa mari:
* * * * *
Hanc pete; namque tibi sedes erit illa perennis:
Hic fiet natis altera Troja tuis.
Hic de stirpe tua reges nascentur; et ipsis
Totius terræ subditus orbis erit."*

Et temporibus Christianis nobilem illum edidit imperatorem Constantinum, Helenæ reginæ filium, qui urbem Romam et imperialia insignia omnia Deo donavit,† et beato Petro, et Sylvestro papæ Romano, cui et stratoris[1] exhibuit officium, et se non amplius imperatorem, sed sanctæ ecclesiæ Romanæ defensorem gavisus est vocari: et ne pax domini papæ, occasione præsentiæ ejus, secularis strepitus tumultu concuteretur, ipse ab urbe domino papæ collata omnino discessit, et sibi civitatem Byzantium ædificavit. Londonia et modernis temporibus reges illustres magnificosque peperit, imperatricem Mathildem, Henricum regem tertium, et beatum Thomam archiepiscopum, martyrem Christi gloriosum,

"—— Quali non candidiorem
Ipsa [terra] tulit, nec quo fuerit devinctior alter."‡

omnibus bonis totis orbis Latini.

[1] *strator:* a groom.

* See note 31. † See note 32. ‡ See note 33.

II

SIEGE OF EXETER, A.D. 1136

[This account of the siege of Exeter is taken from the anonymous *Gesta Stephani Regis Anglorum*, published in the Rolls Series in vol. iii. of the *Chronicle of the Reigns of Stephen, Henry II., and Richard I.*, edited by Richard Howlett (pp. 21-23 and 25-28).

The *Gesta* begins by telling how the death of Henry I. of England in 1135 is followed by an outburst of lawless violence. Stephen lands and is chosen King. London supports him. Disturbances break out in Wales, and forces sent to quell the disorder retreat disgracefully. Robert of Bathampton commits outrages and defies the King. Stephen in person goes and crushes him. Scarcely is this incident closed when Baldwin de Redvers raises an insurrection against the King at Exeter.]

Obsidium Exoniæ.

§ 19. Necdum ista* rex ad effectum deduxerat, et ecce quidam maximæ discordiæ nuncii ex Esonia civitate, referentes Baldvinum de Revers, virum et dignitate et genere magnificum, insolita quædam et, ut res se habebat, adversus regiam pacem agere: quia urbem inter togatos[1]

[1] *togati cives :* citizens of the lower orders.

* See note 34.

cives solito arrogantius cum armato milite ingredi; nec solum in urbe commanentes, sed et convicaneos[1] omnes, ut ad sui solius dominium inflecterentur rogare; omne etiam genus edulii in castellum, quod ex regio sibi usurparat honore, festinanter ingerere; universis non suæ se præsumptioni inclinantibus ignem et gladium viva voce minari; idcirco se regem summissa prece implorare, ut civibus suis in tribulationis angustia positis, solumque in defensione sua remedium sperantibus, succurere maturaret: quo subventionis suæ ope roborati, et Baldvini potentiæ facilius reniti, et sibi soli valerent liberius et specialius obsequi. Talibus rex auditis, temerariam Baldvini præsumptionem indigne ferens, et ideo præcipue, quia luce clarius erat injuste eum adversum se insurrexisse, quia castelli Esoniensis, quod regalis semper extiterat juris, rex sibi custodiam rationabiliter requirebat, nullum hostibus discursandi per provincias tempus indulsit, sed ducentis equitibus, qui illum præcederent, ad Esoniam destinatis, præcepit ut tota nocte itinerantes adversarios secluderent si possent, sin autem civibus permixti armati incederent, neve civitati obessent sollicite procurarent. Cum igitur in mane crastinus dies erupisset, Balduini milites in cives iracundia permoti, eo quod in malum suum ad regem mississent, ad civitatem spoliandam, ad faces domibus injiciendas, agmine conferto e castello prodibant, cum ecce legionarii micantibus armis, vexillisque in altum volitantibus, civitati appropiarunt, tumultuque civitatis, pro castellanis deprædatione et igne furentibus, horribiliter exorto, portis se audacter inferentes, in fugam adversarios repente miserunt. Nec mora, et rex in turmis

[1] *convicaneus:* a dweller in the neighbourhood.

et centenariis cum glorioso, immo ut verius dicam, cum horrendo comitatu advenit, civibusque suis cum honore et gloria, cum donariis et festiva lætitia illi occurentibus, gaudenter intra muros susceptus fuit.

§ **20.** Est autem Esonia civitas ampla, vetustissimo Cæsarum opere murata, quarta et ferunt principalis Angliæ sedes, æquoreorum piscium, carniūm quoque, et navalis commercii refertissima. Castellum in ea situm, editissimo aggere sublatum, muro inexpugnabili obseptum, turribus Cæsarianis inscissili calce* confectis firmatum: in quo Balduinus validissimam pubem, totius duntaxat Angliæ florem, ad obsistendum regi delectam imposuit. Et isti quidem fide et jurejurando, ne regi cederent omnino, cum essent astricti, cum uxore illius et filiis, ad omnia parati recludebantur, castellumque cum micantibus armis spissim[1] et ordinate coronantes, conviciis illatis, regem et suos sæpissime improperabant. Aliquando etiam ex occultis aditibus ex insperato prosilientes, regium damnaturi exercitum cum impetu irruere, nonnunquam vero aut sagittas emittere, aut jacula ex alto vibrare, multisque aliis modis, cum tempus exigebat, infesti existere. Ceterum rex cum baronum copia, qui omnes aut cum adveniente convenerant, aut perniciter eum collatis viribus subsequebantur, multis modis quo eis molestior esset desudavit; quare et agmine peditum instructissime armato exterius promurale, quod ad castellum muniendum aggere cumulatissimo in altum sustollebatur, expulsis constanter hostibus suscepit, pontemque interiorem,

[1] *spissim:* thickly, densely.

* See note 35.

quo ad urbem de castello incessus protendebatur, viriliter infregit, lignorumque ingentia ædificia, quibus de muro pugnare nitentibus resisteretur, mire et artificiose exaltavit. Die etiam et nocte graviter et intente obsidionem clausis inferre; nunc cum armatis aggerem incessu quadrupede conscendentibus rixam pugnacem secum committere; nunc cum innumeris funditoribus, qui e diverso conducti fuerant, intolerabili eos lapidum grandine infestare; aliquando autem ascitis[1] eis, qui massæ subterraneæ cautius norunt venas incidere, ad murum diruendum viscera terræ scrutari præcipere; nonnunquam etiam machinas diversi generis, alias in altum sublatas, alias humo tenus depressas, istas ad inspiciendum quidnam rerum in castello gereretur, illas ad murum quassandum vel subruendum aptare. Illi e contra fortiter et promptissime refragantes, omnia ejus machinamenta, in quibus plurimum artificum desudarat ingenium, nihili pendebant: ita ut strenue et ingeniose utrisque decertantibus, magnum eorum fieret prudentiæ et velocitatis certamen. . . .

[Some of the King's forces are for a short time called away from Exeter by trouble at Plympton. The siege, however, is continued without interruption, although the capture of the city is delayed by the distraction.]

§ **21.** Interea dum et exterius impugnantium, et interius obnitentium, anceps esset victoria, rex etiam ibi tribus fere mensibus perendinatus,[2] usque ad xv millia marcarum[3] in variis expensis consumpsisset, tantos rerum Dispositor Deus volens terminare labores, duorum castelli puteorum uberes venas, affluisque aquarum rivulis semper

[1] *ascisco:* to associate, join together.

[2] *perendinatus:* detained.

[3] *marca:* a mark, commonly taken as equivalent to 13s. 4d.

destillantes, adeo exsiccavit, ut quæ prius ad quotidianum haustum hominibus et jumentis abunde suffecerant, vix nunc ad unius sedandum sitim sufficere prævalerent. Asserunt quidam ex intemperati solis caloribus refluas aquarum scatebras contractas esse, alii fluitantibus in viscera terræ meatibus, aliquo accidente casu, in imis cavernis occultisve terræ sinibus retrusas fuisse. Ego autem non id solis ardori, non casui cuilibet ascribo, sed viva voce protestor, divinam in puteis siccatis adesse virtutem, quia, si in tot anteactis seculis cum et calores plurimi extiterint, semper inexhaustæ abundaverint, nec nunc, nisi divina virtute operante, usque ad aquarum indigentiam extenuarentur: maxime cum et ante castelli obsidionem, et post ipsius statim redditionem, aquæ largissime exuberarint, earumque tantum dum obsidio protelaretur adesset indigentia: ut videlicet sitis supplicio, tanquam aliquo Dei castigati flagello, sponte et suppliciter cogerentur reddere, quod injuste et arroganter videbantur tenere.

§ 22. Aquis igitur cessantibus, ab omnibus, ad necessaria explenda, ad vinum recurrebatur; quod quidem in brevi fuit exhaustum; dum necessitas urgeret, et panes vice aquæ vino conficere, et, si qui erant patinandi[1] cibi, vino lixare. Igni quoque et facibus,* quos ad machinas eorum ustulandas,[2] vel ad domos consumendas, regis artifices prudenter et artiste immittebant, cum vino semper extincturi occurebant, quousque sicut nec aquæ, ita nec vini guttam prorsus haberent. Unde constat, potu deficiente, multimodis eos passionibus angustiari, et ad singula

[1] *patino:* to stew. *lixo:* to boil. [2] *ustulo:* to consume.

* See note 36.

quæque solito imbecilliores existere: quia fragile corpus hominis tunc demum constans est et convalescit, quando naturæ sufficienti sustentatur alimento: cum vero imminutum fuerit, vel ex toto subtractum, infirmum habetur et omnino invalidum. Continuis itaque excubationibus[1] ultra humanam opinionem afflicti, diversis pugnarum modis, quos de muro adversariis inferebant, usque ad defectum fatigati, sitis ad extremum nimia et intolerabili arefactione extenuati, in commune sibi consuluere; quatinus consultis illis, deque interiori, qua vexabantur, angustia secrete certificatis, quorum impulsu Balduinus se contra regem armaverat, qui et tunc cum rege dolose militabant, salvis hominibus castellum contraderent. Nec mora, duobus totius castelli primis et dignioribus ad regem delegatis, qui et linguas venustius ornare, et verba quotiens expediebat prudentius et ornatius immutare prænorant. Sed ille, fratris sui Wintoniensis episcopi consilio persuasus, ferream illis frontem ostendens, inexauditos a præsentia sua cum minis abegit: quia episcopus, laxa et effœta eorum cute conspecta, militibus remissis[2] et a naturali succo[3] vacuatis, labris[4] dispanso hiatu[5] retractis, anhela eos siti laborare deprehendit, ideoque nequaquam consultum esse progrediendi de castello permissum eis indulgere, cum ratum esset in proximo eos ad votum suum, quocumque modo exoptabant, cessuros. Uxor etiam Balduini duram hanc suorum repulsionem non ferens, nuda pedes, sparsa scapulis[6] crines, largos lacrymarum imbres emanans, ad regem pro suis supplica-

[1] *excubatio:* watching.
[2] *remissus:* languid.
[3] *succus:* energy (lit., juice).
[4] *labrum:* lip.
[5] *dispanso hiatu:* with wide opening = with mouth agape.
[6] *scapulæ:* shoulders.

tura accessit. Sed ille humiliter eam et benigne suscepit, tum pro pietate quam de miserando et afflicto sexu habuerat, tum pro nobilis mulieris cognatis et amicis, qui secum ibi in obsidione laborabant, auditisque quæ flebiliter de reddendo castello miseranda deposcebat, inflexibiliter se et adhuc indurans, sine effectu ad suos tandem remisit. Istis itaque hoc modo repulsis, solumque proximam mortem opperientibus, barones regis alii pro contribulibus[1] suis, qui intus recludebantur, germano sanguini compassi, vehementer indoluerunt: alii Balduini dissensionis conscii et cooperatores, pro obsidione consentanei suis tam obstinate intenta non minimum effrenduerunt,[2] factoque agmine regem pariter adeuntes nunc viva cum eo ratione plura contulerunt, nunc blanditiis intermixtis in alterum eum hominem repente mutaverunt.

§ **23.** Dicebant namque regi plenum se de hostibus conquisisse triumphum, dum quod sui erat juris, prævalentibus viribus suis, tandem conquisisset; ideoque dignitati suæ esse aptius, regiæque pietati competentius, captivis supplicibus vitam donare, quam usque ad mortem punitis, quod parum vitæ supererat immisericorditer auferre. Addebant et illos non in regiam majestatem jurasse, nec nisi in fidelitatem domini sui arma movisse; immo tunc se specialiter cum rege agere declarabant, cum, quod sui erat juris proprii, in manus suas tandem tradidissent. Quocirca consultius esse regnoque suo commodius judicabant, morosam illam, qua maxime gravabantur, solvere obsidionem, quatinus et castellum ad gloriæ suæ augmentum susciperet, et ad alia explenda negotia paratius sese et avidius accingeret. Rex autem baronum

---

[1] *contribulis*: relative.

[2] *effrendo*: to lament.

frequentia vallatus,[1] qui non solum precum blanditiis implorabant, verum etiam monitis eum suasoriis impellebant, flexus postremo quæ petierant concessit: utque conjunctius sibi alliceret, inque servitium suum devotiores haberet, non solum eos libere progredi, sed et sua exportare, et cuicumque domino vellent adhærere permisit. Illis denique progredientibus, corpora singulorum marcida siccaque siti videres languentia, citiusque ad hauriendum cujusvis generis poculum, quam ad quodlibet explendum negocium, egressi properabant.

[1] *vallatus* (*vallo*): beset.

III

MASSACRE OF JEWS AT YORK, A.D. 1190

[From *Chronica Magistri Rogeri de Hoveden*, edited for the Rolls Series by Bishop Stubbs, vol. iii., pp. 33-35. Hoveden borrowed a good deal of his material from an earlier "Chronicle of Benedict."]

De Interfectione Judæorum Eboraci.

§ 24. Eodem anno [A.D. 1190], mense Martii, xvii kalendas Aprilis,* feria sexta[1] ante Dominicam in Ramis Palmarum,[2] Judæi civitatis Eboraci, numero quingenti viri, exceptis mulieribus et parvulis, incluserunt se in turrim Eboraci, consensu et voluntate custodis turris et vicecomitis, propter metum Christianorum: quam [turrim] cum prædicti vicecomes et constabularius repeterent, Judæi nolluerunt illam eis tradere. Unde factum est, quod populus civitatis, et extranei, qui ad comitatum venerant, per exhortationem vicecomitis et constabularii, facerunt impetum unanimiter in Judæos. Qui cum insultum fecerunt in turrim die ac nocte, Judæi obtulerunt populo pecuniam magnam pro licentia abeundi cum vita; sed noluit populus accipere. Tunc surrexit quidam legisperitus,[3] et ait: "Viri Israelitæ, audite consilium meum.

[1] *feria sexta* = Friday.

[2] *Dominica in Ramis Palmarum* = Palm Sunday.

[3] *legisperitus* = skilled in the Jewish law.

* See note 37.

Melius est, ut nosmet ipsi nos mutuo interficiamus, quam incidamus in manus inimicorum legis nostræ." Omnes igitur Judæi, tam viri quam mulieres, assensum præbuerunt consilio illius, et accedens unusquisque paterfamilias, incipiens a majoribus domus suæ, primo incidit cum novaculo[1] acuto guttura uxorum et filiorum et filiarum suarum, deinde totius familiæ suæ et extremo sui ipsius. Quidam autem illorum projecerunt interfectos suos extra murum super populum: quidam vero incluserunt interfectos suos in domo regia, et imposito igne combusserunt eos et domos regis. Et illi qui cæteros interfecerant a populo interfecti sunt.

§ **25.** Interim quidam Christianorum incendebant domos Judæorum, et rapinis intendebant, et sic consummati[2] sunt omnes Judæi qui erant in civitate Eboraca, et cartæ universorum debitorum combustæ. . . .

§ **26.** Post Pascha prædictus regis cancellarius cum magno exercitu venit Eboracum, ad comprehendendum malefactores illos qui Judæos civitatis destruxerunt: et cognito quod per præceptum vicecomitis et custodis turris hoc factum fuisset, utrumque deposuit: et a civibus civitatis cepit centum obsides de fide et pace servanda regi et regno, et quod juri starent in curia domini regis de morte Judæorum.

§ **27.** Deinde idem cancellarius tradidit Osberto de Lunchamp, fratri suo, comitatum Eboracensum in custodia, et præcepit firmari castellum in vetere castellario quod rex Willelmus Ruffus ibi construxerat. Milites

[1] *novaculum* (more usually *novacula*): a sharp knife.

[2] *consummati:* equivalent to *consumpti*, destroyed, finished, used up.

autem provinciæ, qui ad rectum noluerunt venire, præcepit comprehendi.

§ **28.** Deinde præfatus cancellarius, auctoritate legationis suæ, suspendit canonicos et vicarios et clericos ecclesiæ Sancti Petri Eboraci, quia noluerunt ricipere eum cum processione; et ipsam ecclesiam tam diu sub interdicto tenuit, donec canonici et vicarii et clerici ecclesiæ Sancti Petri venirent ad pedem ejus; et campanas[1] ejusdem ecclesiæ in terram deponere fecit.

[1] *campana* : a bell.

IV

REVOLT OF WILLIAM FITZOSBERT IN LONDON, A.D. 1196

[From the *Flores Historiarum* of the St. Albans Chronicler, Roger of Wendover. The Chronicle extends from the earliest times to A.D. 1235, the year before the writer's death. The only portion of original value—viz., that covering the years A.D. 1154-1235—has been edited for the Rolls Series by H. G. Hewlett. The following extract is taken from vol. i., pp. 244-245.]

De Morte Willelmi, quondam Civis Londoniensis.

§ 29. Circa dies istos surrexit contradictio et iniquitas in civitate Londoniarum inter pauperes et divites ob distributionem nummorum[1] ad commodum fisci subeundorum[2] inæqualiter multotiens factam, sicut dicebatur a multis. Hujus dissensionis fuit causa Willelmus filius Osberti, contra dignitatem regiam populum convocans et multos sub sacramento sibi confœderans, fratrem suum carnalem et duos alios integræ opinionis viros tanquam regiæ proditionis reos* in suis conventiculis pesequebatur usque ad mortem, et ad ultimum in ecclesia beati Pauli

[1] *nummus:* money; here in the plural=taxes.

[2] *subeundorum* (from *subeo*, to come under)=to be paid.

* See note 38.

seditionem, conclamationem et tumultationem multotiens concitavit, et cum, publice peccatis exigentibus, indignationem regis adversum se graviter intellegeret excitatam, infra turrim cujusdam ecclesiæ ad archiepiscopum specialiter pertinentem sese conclusit, locum sacrum in castellum commutans. Videns autem postmodum multitudinem concurrere armatorum, quos archiepiscopus Cantuariensis adduxerat, ut fugeret mortem sibi proximam, intra templum gloriosæ Virginis ignem conjecit et locum Domino consecratum flammis discurrentibus pro parte combussit. Extractus tandem ab ecclesia perductus est ad turrim Londoniensem calculum[1] portans diffinitivum, et, ut unius pœna metus possit esse multorum, proceris vestibus spoliatus, manibus a tergo vinctis et pedibus colligatis, equorum ministerio per mediam civitatem trahitur ad furcas prope Tiburcinam; suspensus est itaque ferreis catenis, et cum eo novem ejusdem consortes schismatis, ut, quos par facinus inquinaverat,[2] similis pœna multaret.[3]

[1] *calculus :* a stone used for vōting; hence, sentence, decision.
[2] *inquino :* to defile. [3] *multo* (*mulcto*): to punish.

V

THE "FAIR OF LINCOLN," A.D. 1217

[From the *Flores Historiarum* of Roger of Wendover, Rolls Series, vol. ii., pp. 215-219. The so-called "Fair of Lincoln" was the battle in which Louis of France and his supporters were defeated by the loyal barons who, under William Marshall, Earl of Pembroke, maintained the cause of the young Henry III. The city of Lincoln was occupied by the rebels, but the castle still held out for King Henry. The royal army approached in order to relieve the castle and to recover the city.]

De Prœlio apud Lincolniam commisso, quod quidam "Nundinas" appellant.

§ 30. Interea exercitus regis a parte castelli urbi appropinquans, cum a castellanis cognitus fuisset, miserunt clam nuntium per posticum, quod erat a tergo castelli, ad majores exercitus, qui eis omnia quæ fiebant interius nuntiavit. Dixit etiam, quod, si vellent, potuerunt ingressum habere per posterulam, quæ propter adventum eorum fuerat jam aperta; at illi eam noluerunt omnes intrare, sed miserunt Falcasium[1] cum agmine toto cui præerat, et cum balistariis[2] omnibus, qui portam civitatis

[1] *Falcasius*=Falkes de Breauté.
[2] *balistarius*=crossbowman.

saltem unam exercitui aperirent. Deinde omnis multitudo ad portam se aquilonarem conferens illam confringere vacavit;[1] nec propter hæc barones cessabant de petrariis[2] ad castellum lapides emittere ponderosos. Sed Falcasius interim castrum cum agmine, cui præerat, ac balistariis omnibus ingressus statuit eos subito supra muros domorum et in propugnaculis[3] castri, qui illico tela mortifera in dextrarios[4] baronum dirigentes equos cum sessoribus suis prostraverunt in terram, ita quod quasi in ictu oculi peditum maximam, militum ac magnatum, multitudinem effecerunt. Videns autem Falcasius ex nobilioribus adversariorum suorum plurimos in terram prostratos, prorupit de castro cum suis audacter in medium hostium; sed ab irruentibus in eum legionibus captus est et abductus, donec per probitatem balistariorum ac militum suorum liberatus est. Interea moles totius exercitus regis, januis civitatis licet cum difficultate confractis, villam ingrediens audacter prorupit in hostes. Tunc videres igitur ex ictibus gladiorum igneas prosilire scintillas et ad modum tonitrui horribilis fulminare contra capita galeata; sed tandem per balistarios, quorum probitate equi, in quibus sedebant barones, telis confossi sunt et [ad] instar porcorum jugulati, pars baronum fuit penitus infirmata, nempe, quando equi in terram corruerunt interfecti, sessores eorum capiebantur, cum non esset qui eos liberaret. Tandem cum regis militia, baronibus penitus enervatis, cepisset ex eis militum multitudinem numerosam ac vinculis omnes mancipasset, irruit densis agmini-

[1] *vaco:* to devote one's energies to (lit., to have leisure for).
[2] *petraria* (=*petrabulum*): a catapult.
[3] *propugnaculum:* rampart.
[4] *dextrarius:* war-horse, charger.

bus in comitem Perticensem,* circumvallando eum undique; sed demum, cum impetum irruentium in eum sustinere non potuit, hortati sunt ut se redderet, quatenus vivus evadere potuisset. At ille cum juramento affirmavit, quod se non redderet Anglis, qui proprii regis proditores fuerunt; et, his auditis, irruit quidam in eum-percutiensque illum in oculo cerebrum perforavit, et corruens in terram verbum ultra non edidit. Videntes itaque Galligenæ phalanges[1] quod major eorum cecidisset, inierunt fugam, tam pedites quam equites, sibi nimis damnosam; nam flagellum[2] portæ australis, per quam fugerunt, quod ex transverso illius portæ fuerat fabricatum, fugientes non mediocriter impedivit; etenim, quotiescunque aliquis adveniens exire voluit, oportebat eum ab equo descendere et portam aperire, quo exeunte, porta denuo claudebatur, flagello ut prius posito ex transverso, sicque porta illa fugientibus nimis molesta fuit. Insecuti sunt autem fugientes barones et Francos milites regis; sed, licet plures in fugiendo capti fuissent, ficte tamen insecuti sunt eos, quia, nisi consensus consanguinitatis et carnis intervenisset, nec unus ex omnibus evasisset. Sed, ne sermonem inaniter diutius protraham, capti sunt ex baronibus capitaneis Saerus comes Wintoniensis, Henricus de Buhun comes Herefordiæ, comes Gilebertus de Gant, quem nuper Lodowicus fecerat comitem Lincolniensem; comes Perticensis ibi remansit in æternum. Capti sunt etiam barones, Robertus filius Walteri, Richardus de Muntfichet, Willelmus de Mubrai, Willelmus de Bellocampo, Willelmus Maudut, Oliverus de Hæncurt, Rogerus de Creisi, Willel-

[1] *phalanx:* battalion. [2] *flagellum:* cross-bar.

* See note 39.

mus de Colevilla, Willelmus de Ros, Robertus de Roppele, Radulphus Chainedut, et alii multi, quos longum est enumerare. Capti sunt etiam milites trecenti, præter servientes, equites et pedites, qui facile sub numero non cadebant. Comes Perticensis in pomerio[1] hospitalis extra villam sepultus est. Reginaldus etiam cognomento Crocus, miles de familia Falcasii, vir strenuus, ibi interfectus est et apud abbatiam de Crocstune honorifice sepultus. Interfectus est præterea in illo conflictu serviens quidam ex parte baronum, omnibus ignotus, qui extra civitatem in quadrivo quasi excommunicatus sepultus fuit. Isti tres tantummodo ex omnibus in tanti discrimine belli occisi referuntur.

§ 31. His ita gestis, invenerunt regii bellatores in plateis[2] civitatis bigas baronum et Francorum, cum summariis[3] et sarcinis vasis argenteis et varia suppellectilibus simul et utensilibus onustas, quæ omnia in usus eorum sine contradictione cesserunt. Spoliata itaque civitate universa usque ad ultimum quadrantem,[4] ecclesias omnes totius urbis consequentur spoliantes, arcas[5] universas cum armariis securibus ac malleis confregerunt, rapientes in eis aurum et argentum, pannos[6] omnis coloris ac muliebria ornamenta, annulos aureos, cum scyphis[7] et lapidibus pretiosis. Nec etiam ecclesia cathedralis hanc pestem evasit quin subiret judicium aliarum [ecclesiarum], datum enim erat militibus in mandatis a legato, ut canonicos omnes tractarent velut excommunicatos, sicut tales qui hostes fuerunt Romanæ ecclesiæ ac regis Angliæ ab initio

---

[1] *pomerium :* orchard.
[2] *platea :* street.
[3] *summarius :* sumpter-horse.
[4] *quadrans :* farthing (*cf.* Matt. v. 26).
[5] *arca :* chest.
[6] *pannus :* cloth.
[7] *scyphus :* cup, goblet.

guerræ motæ; præcentor autem ecclesiæ illius, Gaufridus scilicet de Drepinges, undecim millia marcas argenti se doluit amisisse. Tandem cum omnia mercimoniorum[1] genera rapuissent, ita quod nihil in aliquo domatis angulo remansit intactum, reversi sunt singuli ad dominos suos omnes divites effecti, atque, ab omnibus pace regis Henrici per civitatem denuntiata, epulabantur et bibebant cum jocunditate. Facta est autem ista belli congressio, quam in opprobrium Lodowici ac baronum "Nundinas" appellabant, quarto decimo kalendas Junii, sabbato scilicet in hebdomada Pentecostes,* habens initium hora inter primam et tertiam media, sed ante horam nonam a bonis negotiatoribus sunt omnia consummata. Verum ex matronis civitatis multæ fuerunt aquis submersæ, quæ, ut scandalum evitarent, parvas ingressæ naviculas cum pueris et ancillis et rebus domesticis defecerunt in via, sed postmodum a quærentibus inventa fuerunt in flumine vasa argentea cum rebus aliis multis, quæ suis inventoribus profuerent; erant enim naviculæ nimis oneratæ, et ideo subito perierunt omnes matronæ naves regere nescientes, impetus enim male solet omnia ministrare. Omnibus igitur in hunc modum consummatis, præcepit Willelmus Mareschallus castellanis omnibus, ut cum prisonibus suis redirent ad propria, eosque sub arcta[2] servarent custodia donec de illis regis voluntatem audirent. At idem Mareschallus eadem die, antequam cibum sumeret, ad regem reversus retulit coram legato omnia quæ acciderant, qui gratias Deo cum lachrymis agentes fletum citius converterunt in risum.

[1] *mercimonium*: merchandise. [2] *arctus* (=*artus*): strict.

* See note 40.

VI

AN ARCHIEPISCOPAL VISITATION IN LONDON, A.D. 1250

[From the *Chronica Majora* of Matthew Paris, the greatest of the Chronicles of St. Albans. The extract will be found in the Rolls Series edition, prepared by H. R. Luard, vol. v., pp. 121-124.

Archbishop Boniface—a youthful and warlike relative of Henry III.'s Queen, one of the obnoxious "foreign favourites" of the time—resolved to hold a visitation of his province. He began with his own monks of Canterbury, who regarded him as a scourge sent upon them by Providence for their sins. He continued at Faversham and Rochester, at each of which places his harshness caused much grief. Not, however, till he passed beyond his own diocese and entered London did he meet with overt opposition. The Canons of St. Paul's resisted him, and appealed to the Pope; whereupon he excommunicated the Dean and some others. Then, filled with wrath, he proceeded to visit the priory of St. Bartholomew, of which visitation the following is Matthew Paris's account.]

Quam impetuose se gessit Archiepiscopus Bonifacius Londoniis.

§ **32.** . . . Et in crastino,* hesterna ira adhuc tumidus et succensus, et lorica, ut perhibent, qui viderunt, testi-

* See note 41.

monium, sub vestibus indutus, venit ad prioratum Sancti Bartholomæi* ut ibi canonicos visitaret. Cui adventanti et ecclesiam intranti occurrit supprior, quia prior tunc domi non fuerat, comitante conventu[1] processionaliter cum sollempnitate et reverentia in multorum accensione cereorum[2] et sonitu campanarum; erant autem in capis[3] choralibus et pretiosis valde, quarum pretiosissimam habuit summus eorum qui tunc erat, videlicet supprior memoratus. De quo sibi exhibito honore non multum curavit episcopus; dixit se illuc venisse ut ipsos canonicos visitaret. Erant autem jam omnes canonici in medio ecclesiæ, scilicet in choro, ipseque archiepiscopus cum majori parte familiæ suæ, inordinate sese comprimentis. Cui respondit unus canonicorum pro omnibus, dicens quod episcopum habent peritum et diligentem, qui eos habuit cum necesse fuerat, visitare, nec voluerunt nec debuerunt ab alio, ne contemptus videretur, visitari. Quod audiens archiepiscopus in iram secus quam deceret aut expediret furoris conversus, irruit in suppriorem, suæque conditionis et suorum antecessorum sanctitatis immemor, ipsum sanctum virum, sacerdotem et religiosum in medio ecclesiæ existentem, pugno impie tum percussit, tum in pectus senile, tum in faciem venerabilem, tum in canum caput impulit truculenter multotiens, clamosa voce dicens; "Siccine, siccine decet Anglicos proditores impetere;" et horribilius cum juramentis irrecitabilius delirans, gladium suum expostulavit festinanter afferri. Et cum multiplicarentur tumultus, et niterentur canonici suum supprio-

[1] *conventus :* the brethren of the convent.
[2] *cereus :* taper. [3] *capa :* cope.

* See note 42.

rem de manibus tam violenter opprimentis liberare, ipse archiepiscopus capam illam pretiosam, qua supprior indutus erat, delaceravit, et firmaculum,[1] quod vulgariter morsus[2] dicitur, avulsit, et inter pedes catervatim[3] irruentium conculcatum[4] est et amissum, quod auro et argento et gemmis fuerat pretiosum; sed et ipsa capa nobilissima conculcata et distracta irrestaurabiliter violabatur; nec adhuc aversus est furor archiepiscopalis. Ipsum namque sanctum virum impetu violento repellens et retroire cogens, ad unam spondam,[5] quæ duos de stallis dividebat et pro podio[6] facta fuit, adeo senile corpus pressit, ut ossa cum medullis[7] conquassaret et præcordia collideret furibundus. Cæteri autem cum tantam in archiepiscopo viderent immoderantiam, virum seminecem de mortis confinio vix eripuerunt, oppressorem repellentes. Qui cum cecidisset retrorsum et aversa fuerunt ejus vestimenta, visa est lorica ipsius a multis manifeste, qui abhorruerunt videntes archiepiscopum loricatum; unde prænosticabant[8] multi, quod non ad visitandum vel errores corrigendum illuc venerat, sed potius ad prælium excitandum. Interim sui ministeriales, quos habuit impetuosus, sibi com-Provinciales, in reliquos canonicos imbelles, inermes, et improvisos, truculenter irruerunt, et tam ipse archiepiscopus quam sui, jussu ejus et exemplo, quamplures ex eis male tractaverunt, percutiendo, dilacerando, prosternendo, et conculcando. Venerunt igitur canonici pedes livore[9] et

---

1 *firmaculum :* fastening.
2 *morsus :* clasp.
3 *catervatim :* in disorderly masses.
4 *conculco :* to trample under foot.
5 *sponda :* arm-rest.
6 *podium :* support.
7 *medulla :* marrow.
8 *prænostico :* assert.
9 *livor :* a black-and-blue bruise.

cruore deturpati, et male læsi, hirsuti,[1] et lacerati, ad episcopum civitatis, super tam detestabili facto gravem querimoniam cum lacrimis reponentes. Quibus ille episcopus: "Dominus rex est apud Westmonasterium, adite eum hoc monstraturi, ut saltem moveat eum suæ pacis in sua principali civitate læsio tam violenta ac manifesta."

§ 33. Quatuor igitur ex ipsis canonicis (quia ceteri non poterant præ dolore ictuum, regis præsentiam ut adirent), Westmonasterium in conspectu populi multum compatientis usque pervenerunt, monstrantes omnibus ictuum vestigia, cruorem scilicet, livorem, et tumorem, et vestes laceratas, qui tam enorme factum compatientes detestabantur. Quintus autem, videlicet supprior memoratus, nullo modo eques vel pedes ad curiam venire valebat, sed gemebundus[2] in infirmariam portatus, sese in lectum recipiens, reliquum ætatis protraxit in languore. Rex autem, licet ad ostium cameræ suæ diu expectassent, memoratos canonicos querulos nec audire voluit nec videre. Unde cum majori confusione[3] ad ecclesiam suam, quam dictus archiepiscopus sanguine sacerdotum et religiosorum pollutam prophanaverat, redierunt. Interim perturbata est tota civitas vehementer, et quasi seditione mota proposuerunt cives communem campanam pulsare, et ipsum archiepiscopum (quicquid postea contingeret) in frusta[4] detruncare. Resonabant interim cum probris[5] convitia,[6] et dicebant ei ad Lameth domum suam properanti, dum ipsum quærerent catervatim ruentes, "Ubi est

[1] *hirsutus :* dishevelled.
[2] *gemebundus :* graoning.
[3] *confusio :* trouble of mind.
[4] *frustum :* piece, bit.
[5] *probrum :* insult.
[6] *convitium* (*convicium*): abuse, clamour.

ille ruptarius,[1] percussor impius et cruentus, non animarum lucrator,[2] sed pecuniarum extortor, quem non Deus, non legitima vel libera promovit electio, sed rex illicite potius intrusit illiteratum et uxoratum, et teterrima de ipso infamia mota infecit totam jamjam civitatem ?" Et cito post transvectus clanculo[3] per Tamisiam, gravem super his coram domino rege reposuit querimoniam, justificans se, licet reum, et alios graviter accusando; et currens ad reginam, coram ipsa reposuit graviorem. Rex igitur seditionem formidans vehementer, fecit voce præconia[4] in civitate proclamari, ne aliquis super vitam et membra se de hac controversia intromitteret. Et sic spretus tam apud canonicos Sancti Bartholomæi quam apud Sanctam Trinitatem constanter appellantes, perrexit archiepiscopus, et sumens ex regis favore cornua,[5] apud Lameth in capella dictam sententiam in canonicos Sancti Pauli latam sollempniter innovavit, involvens episcopum Londoniensem tanquam fautorem[6] cum canonicis memoratis. Ipsi igitur canonici undique læsionem et injuriam passi sancto suo Bartholomæo, cum jugiter nocte dieque servire dinoscuntur,[7] causam hanc conquesti lacrimabiliter commiserunt, deprecantes ut Deus, ultionum Dominus, quod homo nequit vel dissimulat, tantas dignaretur ulcisci transgressiones.

[1] *ruptarius :* robber. [2] *lucrator :* winner, gainer.
[3] *clanculo* (*clanculum*): secretly.
[4] *præconia* (*voce*): by the voice of the public crier (*præconor*).
[5] *cornua :* courage. [6] *fautor* (*favitor*): favourer, supporter.
[7] *dinosco* (*dignosco*): to know.

VII

TROUBLES AT BRISTOL, A.D. 1316

[From *Vita Eduardi Secundi*, by an anonymous monk of Malmesbury, published in the Rolls Series in vol. ii. of *Chronicles of the Reigns of Edward I. and Edward II.*, edited by Bishop Stubbs (pp. 219-222). The troubles in Bristol were part of the general disorder which afflicted the country after the defeat of Edward II. at Bannockburn, and amid the baronial dissensions which Thomas of Lancaster had roused but could not control.]

Dissensio in Villa Bristolliæ.

§ 34. Jampridem orta fuit dissensio in villa Bristolliæ super consuetudinibus in portu maris et in foro, super privilegiis et aliis rebus, in quibus quatuordecim de majoribus ejusdem villæ videbantur prærogativam habere. Obstitit communitas, asserens burgenses omnes unius conditionis esse et ob hoc in libertatibus et privilegiis pares existere. Super hujuscemodi rebus frequentes inter se habuerunt altercationes, donec in curia regis impetrarent judices qui de causa cognoscerent et ipsam debite terminarent. Porro quatuordecim illi prædicti procuraverant in inquisitione forenses[1] associari. Credebantur insuper et ipsi conducti[2] et ad partem illorum quatuordecim totaliter

[1] *forensis* : outsider, stranger.

[2] *conduco* : to bribe.

inclinari. Allegavit communitas libertatibus villæ fore contrarium causas intrinsecas ventilari[1] judicio forensium, sed justitiarii tales allegationes frivolas reputabant; unde nec libertatibus nec privilegiis eorum in hoc deferebant. Videntes ergo majores communitatis exceptiones suas repelli, jus eorum favore potius quam ratione confundi, conturbati nimirum exierunt ab aula ubi de consuetudine tractantur judicia, nuntiaveruntque plebi dicentes, "Venerunt judices adversariis nostris faventes, et in præjudicium nostrum forenses admittunt, unde et jura nostra sine fine peribunt." Ad hæc verba vulgus insipiens in seditionem vertitur, et totus populus præ tumultu timore concutitur. Redeuntes denuo cum multo comitatu venerunt in aulam ubi jus eorum jam vertunt in injuriam. Nam pungnis[2] et fustibus[3] obviam sibi turbam invadere cœperunt, et ipsa die subito fere viginti homines fatue peremerunt. Timor namque non vanus nobiles et ignobiles tantus invasit ut plures per fenestras de summo solarii[4] in plateam exilierunt, et crura vel tibias in terram decidentes enormitur læserunt. Timebant et judices, humiliter patentes in pace recedere, quos major villæ, plebis insaniam vix tandem compescens, illæsos fecit abire.

§ **35.** Indictati fuerunt super hoc quasi octoginta viri, et habita inquisitione diligenter coram justitiariis regiis apud Gloucestriam, condempnati, postea de comitatu exiguntur, et non venientes neque parentes exules fieri præcipiuntur. Ipsi vero bene muniti continuerunt se intra villam suam; non parebunt regis mandato nisi per manum validam.

[1] *ventilo :* to winnow, try.
[2] *pungnus* (*pugnus*): fist.
[3] *fustis :* knotted stick, club.
[4] *solarium :* balcony.

§ **36.** Quatuordecim illi prædicti, qui adversabantur communitati, domos et redditus[1] relinquentes a villa recesserunt; nam sub tali tempestate morari cum adversariis inutile censuerunt. Per duos annos et amplius duravit ista rebellio communitatis Bristolliæ, et tamen ex parte regis pluries sunt moniti ad pacem venire. Maluit enim rex pœnam grassantium si vellent mitigare, quam plenam vindictam expetendo bonam villam destruere. Perstiterunt autem ipsi semper rebelles, mandatum et præceptum regis semper contempnentes. Non venerunt vocati; non paruerunt moniti, causantes omnem processum contra eos habitum injustum, quia privilegiis et libertatibus eorum omnino contrarium.

§ **37.** Nolens ergo rex malitiæ eorum ulterius satisfacere, milites et majores de comitatu Gloverniæ vocantur Londonias, quibus injunxit in virtute sacramenti ibidem præstiti causam Bristolliæ et cujus esset injuria patenter edicere. Qui omnes dixerunt communitatem Bristolliæ partem sinistram fovere, et octaginta viros auctores injuriæ. Misit ergo Bristolliæ Adolmarum comitem de Penbrok, qui vocatis majoribus communitatis dixit eis ex parte regis: "Dominus rex," inquit, "causam vestram ventilans, vos reos invenit, et ut juri pareatis vos monet et præcipit. Homicidas et reos illos tradite, et vos et villa vestra in pace manete. Promitto quod, si sic feceritis, dominum regem erga vos satis placabilem et misericordem invenietis." Respondit communitas: "Nos injuriæ auctores non fuimus; nos in dominum regem nichil deliquimus. Quidam nitebantur jura nostra tollere, et nos sicut decuit e contra defendere. Iccirco, si dominus rex ea quæ

[1] *redditus*: revenues.

nobis inponuntur remiserit, si vitam et membra, redditus et prædia nobis concesserit, sibi ut domino parebimus et omnia quæcunque voluerit faciemus; alioquin persistemus ut cœpimus, et libertates et privilegia nostra usque ad mortem defendemus."*

* See note 43.

VIII

CUSTOMS OF NEWCASTLE-ON-TYNE

[From *Acts of the Parliament of Scotland*, vol. i., pp. 33-34. The customs belong to the twelfth century. They are recorded in the Scottish archives because David of Scotland, who occupied Newcastle during Stephen's reign, adopted them for his four leading Scottish boroughs. Another version of the customs is to be found in the *Percy Chartulary*, published by the Surtees Society.]

Customs of Newcastle-upon-Tyne.

§ 38. Hæ sunt leges et consuetudines quas Burgenses Novi Castelli super Tinam habuerunt tempore Henrici Regis Angliæ et habere debent.

I.

Burgenses possunt namiare[1] foris habitantes infra suum forum et extra, et infra suam domum et extra, et infra suum burgum et extra, sine licentia præpositi, nisi comitia[2] teneantur in burgo et nisi in exercitu sint vel custodia castelli.

II.

Super burgensem non potest burgensis namum[3] capere sine licentia præpositi.[4]

---

[1] *namiare :* to distrain.
[2] *comitium :* court.
[3] *namum :* distress, pledge.
[4] *præpositus :* reeve.

III.

Si burgensis foris habitantibus aliquid accommodaverit[1] in burgo, ipse debitor si concedat reddat debitum, vel in burgo faciat rectum.

IV.

Placita[2] quæ in burgo surgunt ibidem teneantur et finiantur præter illa quæ sunt coronæ regis.

V.

Si aliquis burgensis de aliqua loquela[3] appelletur, non placitabit[4] extra burgum nisi ex defectu curiæ. Nec debet respondere sine die et termino, nisi prius in stultam[5] responsionem inciderit, nisi de rebus quæ ad coronam pertinent.

VI.

Si navis apud Tinemue[6] applicuerit quæ velit discedere, licet burgensibus emere quod voluerint.

VII.

Inter burgensem et mercatorem si placitum oriatur, finiatur ante tertiam refluxionem maris.

VIII.

Quicquid mercaturæ navis per mare advexerit ad terram debet ferri, præter sal et allec[7] quæ debet vendi in navim.

---

1 *accommodo :* to lend.
2 *placitum :* a plea.
3 *loquela :* complaint.
4 *placito :* to plead.
5 *stulta responsio :* a mistaken defence.
6 *Tinemue :* Tynemouth
7 *allec :* herring.

IX.

Si quis terram in burgagio uno anno et una die juste et sine calumnia tenuerit, non respondeat calumnianti, nisi calumnians extra regnum Angliæ fuerit, vel ubi sit puer non habens potestatem loquendi.

X.

Si burgensis habet filium in domo sua ad mensam suam, filius ejus eandem habeat libertatem quam et pater suus.

XI

Si rusticus[1] in burgo veniat manere, et ibi per annum unum et diem dicut burgensis maneat in burgo, ex toto remaneat, nisi prius ab ipso vel domino suo prælocutum sit ad terminum remanere.

XII.

Si quis burgensis de re aliqua appelaverit, non potest super burgensem pugnare, sed per legem se defendat burgensis, nisi sit de proditione, unde debeat se defendere bello. Nec burgensis contra villanum poterit pugnare nisi prius de burgagio exierit.

XIII.

Mercator aliquis, nisi burgensis, non potest extra villam emere nec lanam nec coria nec mercatoria alia nec infra burgum nisi burgensibus.

[1] *rusticus* : serf or villain.

XIV.

Si forisfactum[1] contigerit burgensi, dabit sex oras[2] præposito.

XV.

In burgo non est merchet,[3] nec heriot,[4] nec blodwit,[5] nec stengesdint.[6]

XVI.

Unusquisque burgensis potest habere suum furnum et molam manualem si velit, salvo jure furni[7] regis.

XVII.

Si femina sit in suo forisfacto de pane vel de cervisia, nullus debet intromittere nisi præpositus. Si bis forisfecerit, castigetur per . . . forisfactum. Si tertio forisfecerit,[8] justitia de ea fiat.

XVIII.

Nullus nisi burgensis poterit emere telas[9] ad tingendas nec facere nec secare.

XIX.

Burgensis potest dare terram suam et vendere et ire quo voluerit libere et quiete, nisi sit in calumnia.[10]

---

[1] *forisfactum :* forfeiture.
[2] *ora :* an ounce=$\frac{1}{12}$ pound=20 pence.
[3] *merchet* : fine paid for permission to marry.
[4] *heriot :* payment made on death of tenant.
[5] *blodwit :* compensation for bloodshed.
[6] *stengesdint* (*stengesdingwit*): compensation for blow with a stick.
[7] *furnus :* oven.
[8] *forisfacere :* to forfeit.
[9] *tela :* cloth.
[10] *calumnia :* challenge.

IX

A CHARTER OF SOUTHAMPTON

[This portion of a charter of inspeximus, dated A.D. 1341, is from H. W. Gidden's *Charters of the Borough of Southampton*, vol. i., pp. 10-14. It is given as a type of one of the commonest sorts of mediæval records.]

A Charter of Southampton, A.D. 1341.

I.

§ 39. Edwardus Dei gratia rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ omnibus ad quos presentes hæ perveniunt salutem. . . .

II.

Inspeximus cartam quam celebris memoriæ dominus Henricus quondam rex Angliæ progenitor noster fecit burgensibus de Suthampton in hæc verba. . . . Præcipio quod homines mei de Hampton habeant et teneant gildam suam et omnes libertates et consuetudines suas in terra et in mari ita bene et in pace et juste et libere et quiete et honorifice sicut habuerunt melius et liberius et quietius tempore regis Henrici avi mei et nullus eis supra hoc ullam injuriam vel contumeliam faciat. . . .

III.

Inspeximus cartam quam bonæ memoriæ dominus Ricardus quondam rex Angliæ progenitor noster fecit burgensibus de Suthampton in hæc verba: . . . volumus et

firmiter percipimus et hac presenti carta nostra confirmavimus quod burgenses nostri de Suthampton sint quieti de theoloneo[1] et passagio[2] et pontagio[3] tam in terris quam in aquis, tam in feriis quam in mercatis, et de omni seculari consuetudine et per omnes terras nostras citra mare et ultra, et per omnem potestatem nostram. Et perhibemus ne quis eos super hoc disturbet aut injuriam vel molestiam aut gravamen faciat super forisfacturam nostram in hiis quæ ad nostram pertinent potestatem. . . .

IV.

Inspeximus etiam cartam quam bonæ memoriæ dominus Johannes quondam rex Angliæ proavus noster fecit præfatis burgensibus de Suthampton in hæc verba. . . . Sciatis nos concessisse et presenti carta confirmasse burgensibus nostris de Suthampton, villam de Suthampton ad firmam[4] imperpetuum cum portu de Portesmues cum omnibus pertinenciis, libertatibus et liberis consuetudinibus suis et aliis omnibus quæ ad firmam dictæ villæ de Suthampton pertinebant tempore Henrici patris nostri, tenendam de nobis et heredibus nostris imperpetuum ad firmam reddendo inde annuatim ad festum sancti Michælis ad scaccarium[5] nostrum ducentas libras sterlingorum. Quare volumus et firmiter precipimus quod predicti burgenses habeant et teneant predictam villam cum predicto portu de Portesmues cum omnibus pertinenciis et libertatibus et liberis consuetudinibus ad illam firmam pertinentibus sicut predictum est. . . .

[1] *theoloneum :* toll.
[2] *passagium :* transit dues.
[3] *pontagium :* bridge dues.
[4] *firma :* farm.
[5] *scaccarium :* exchequer.

v.

Hiis testibus venerabilibus patribus S. Archiepiscopo Cantuariense totius Angliæ primate, J. Eliense episcopo cancellario nostro, Johanne de Warrenna thesaurario nostro, Thoma de Wake senescallo hospicii nostri, et aliis. Datum per manum nostram apud Westmonasterium vicesimo octavo die Martii, anno regni nostri Angliæ quarto decimo, regni vero nostri Franciæ primo.

NOTES

I

1. *In Venerem putres :* "corrupted into licentiousness." *Cf.* Persius, V. 58, "Ille in venerem est putris."

2. *Si remeaverint cives in insulam.* Cives=Romani. Southern Britain, even in the twelfth century, was still ideally a part of the Roman Empire.

3. *Arx palatina :* the Tower of London.

4. *Duplatis heptapylæ portis intercontinuante :* "(the wall) pierced by the double gates of the seven entrances."

5. *Palatium regium :* the Palace of Westminster.

6. *Fons Sacer, Fons Clericorum :* Holywell and Clerkenwell.

7. *Rotant enthymemata :* "recite enthymemes." An enthymeme is a syllogism in which the major premiss is suppressed.

8. *Licentia Fescennina.* Fescenina was a city of Etruria once famous for jeering dialogues in verse. *Cf.* Horace, Ep. II., 1, 145.

9. *Dens Theoninus :* "Theonine tooth." The expression comes from Horace, Ep. I., 18, 82, and it evidently means "the tongue of slander"; but nothing is known of the poet Theoninus, who is referred to.

10. *Ingeminant . . . cachinnos :* "with curling nose double the quivering peals." From Persius, III. 87, with change of number.

11. *Dent . . . canistris.* Virgil, *Æneid* I. 701, the correct form of which is, "Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris."

12. *Afra avis :* possibly the guinea-hen is here intended, the *Africana gallina* of Pliny.

13. *Ad civilitatem pertinens :* "belonging to its civilization"—*i.e.*, an essential part of its civic organization.

14. *Juxta . . . civilitatis.* According to Plato's *Gorgias*, Socrates distinguished four qualities in *civilitas*—viz., legislation, justice, gymnastic, and medicine. These, when through adulation they decline, yield place respectively to sophistry, rhetoric, display, and cookery.

15. *Planus campus:* Smooth Field or Smithfield.

16. *Altius . . . reponunt.* The reference is to Virgil, *Georgics* III. 76, which reads, "altius ingreditur, et mollia crura reponit."

17. *Passum . . . citatiorem.* The *passus suavior* is the trot: the *motus citatior*—described in the succeeding words—is the gallop.

18. *Lupatis . . . ora: cf.* Horace, *Odes* I. 6-7.

19. *Corpora . . . pecus: cf.* Virgil, *Georgics* III. 369.

20. *Aurum . . . sabelinas: cf.* Virgil, *Georgics* I. 57 and II. 117.

21. *Antiquior est: sc.* Londinia.

22. *Ultimi Leonis papæ:* Pope Leo IX., 1049-1055.

23. *Nocte . . . habes: cf.* Donatus in Heyne's *Virgil* (Third Edition), vol. v., p. 343.

24. *Juvenum recens examen: cf.* Horace, *Odes* I. 35 (30).

25. *Aptus . . . equus: cf.* Ovid, *Ars Amoris* III. 384.

26. *Simulacra belli cient: cf.* Virgil, *Æneid* V. 674.

27. *Voti compos:* "having gratified his wish." *Cf.* Horace, *Ars Poet.* 76.

28. *Puellarum . . . tellus: cf.* Horace, *Odes* I. 4 (5) and 37 (2).

29. *Latere altero prætenso:* (they slide) "with body turned sideways."

30. *Lucanus.* The reference is to *Pharsalia* II. 572.

31. *Brute,* etc.: *cf.* Horace, *Odes* I. 1 (6).

32. *Deo donavit.* The allusion is to the pseudo-donation of Constantine.

33. *Quali,* etc.: *cf.* Horace, *Sat.* I. 1 (41-2).

II

34. *ista.* The reference is to the revolt of Robert of Bathampton described in the preceding section.

35. *inscissili calce:* "mortar that will not split"; the hard Roman mortar is meant.

36. *Igni . . . facibus:* datives governed by *occurrebant* instead of accusatives governed by *extincturi,* as we should expect.

III

37. *xvii kalendas Aprilis*=ante diem septimum decimum kalendas Apriles=16th March.

IV

38. *tanquam . . . reos:* "as though guilty of treason."

V

39. *Comes Perticensis:* the Count of Perche, one of the band of 120 knights and nobles who accompanied Louis from France. His county lay between Normandy and Maine.

40. *quarto decimo . . . pentecostes*=19th May—viz., the Saturday in Whitsun Week.

VI

41. *In crastino.* On May 12, 1250, the Archbishop had visited St. Paul's, and had been refused admittance by the Canons, whom he had thereupon excommunicated.

42. *Prioratus Sancti Bartholomæi:* the Priory of St. Bartholomew in Smithfield, a community of Augustinian regulars founded by a certain Rahere, a member of the household of Henry I., about A.D. 1120.

VII

43. Bristol, which thus shows itself obstinate, is besieged by the King's order and is forced to surrender. The ringleaders of the rebels are punished, and the fourteen exiles are reinstated. "Jam sciunt Bristollienses se male errasse et rebellionem suam nichil profecisse."

564061

PRINTED BY
BILLING AND SONS, LIMITED,
GUILDFORD, ENGLAND

BY SIR A. W. WARD, Litt.D., F.B.A.:—

No. 9. THE PERIOD OF CONGRESSES, I. Introductory. 8d. net.

No. 10. THE PERIOD OF CONGRESSES, II. Vienna and the Second Peace of Paris. 1s. net.

No. 11. THE PERIOD OF CONGRESSES, III. Aix-la-Chapelle to Verona. 1s. net. (Nos. 9, 10, and 11 in one volume, cloth 3s. 6d. net.)

No. 12. SECURITIES OF PEACE. A Retrospect (1848—1914). Paper 2s.; cloth 3s. net.

No. 13. THE FRENCH RENAISSANCE. By ARTHUR A. TILLEY, M.A. 8d. net.

No. 14. HINTS ON THE STUDY OF ENGLISH ECONOMIC HISTORY. By W. CUNNINGHAM, D.D., F.B.A., F.S.A. 8d. net.

No. 15. PARISH HISTORY AND RECORDS. By A. HAMILTON THOMPSON, M.A., F.S.A. 8d. net.

No. 16. AN INTRODUCTION TO THE STUDY OF COLONIAL HISTORY. By A. P. NEWTON, M.A., D.Litt., B.Sc. 6d. net.

(Others to follow.)

LONDON: S.P.C.K.

TEXTS FOR STUDENT

No. 1. SELECT PASSAGES
FROM JOSEPHUS, TACITU
SUETONIUS, DIO CASSIUS. I
trative of Christianity in the First Centu
Arranged by H. J. WHITE, D.D. 3d. n

No. 2. SELECTIONS FROM
MATTHEW PARIS.
Arranged by C. A. J. SKEEL, 9d.

No. 3. SELECTIONS FROM
GIRALDUS CAMBRENSIS.
Arranged by C. A. J. SKEEL, 9d.

No. 4. LIBRI SANCTI PATRICII.
The Latin Writings of St. Patrick,
NEWPORT J. D. WHITE, D.D. 6d. n

No. 5. A TRANSLATION OF TH
LATIN WRITINGS OF S
PATRICK.
By NEWPORT J. D. WHITE, D.D. 6d.

No. 6. SELECTIONS FROM TH
VULGATE.
Arranged by H. J. WHITE, D.D. 9d.

No. 7. THE EPISTLE OF ST. CLEMEN
OF ROME. 6d.

No. 8. SELECT EXTRACTS
From Chronicles and Records relating
English Towns in the Middle Ages. Edi
by F. J. C. HEARNSHAW, M.A., LL.D.

No. 9. THE INSCRIPTION
ON THE STELE OF MÉŠA',
Commonly called the Moabite Stone.
Text in Moabite and Hebrew with translat
by H. F. B. COMPSTON, M.A. 6d. ne

DA
170.
.S4
IMS

Select extracts from chronicles & records relating to English towns in the Middle Ages

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA